



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum Deus sit actor mali pœnæ vel conuerso.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

## QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum actio peccati secundum quod actio, sit à Deo.

Tho. 1. 2. q. 79. ar. 1.

**C**irca distinctionem istam queritur, primò vtrū actio peccati secundum quod actio sit à Deo. Et videtur quod non, quia Fulgentius dicit, quod Deus illius rei vltor est cuius non est autor, sed Deus est vltor peccati quārum ad ipsam actionem, ergo &c. Probatio minoris, quia sicut peccato respondet pena damni ratione auersionis, in qua consistit defectus, ita respōdet ei pena sensus ratione conuersionis, in qua consistit actus.

2 Item defectus nō assignatur causa, nisi ratione actus, vbi ergo actus & defectus sunt inseparabiles, quicquid est causa actus est causa defectus, sed in actione peccati, puta in verbo blasphemie actus & defectus sunt inseparabiles: ergo cum Deus non sit causa defectus (alioquin Deo imputaretur peccatum) videtur quod non sit causa actus.

3 IN contrariū est, quia illud quod non est causa actus, non est causa effectus producti per actum, sed per actionē peccati aliqui effectus in esse produciuntur: generantur enim homines ex adulteriis. Si ergo talium actionū deus non esset causa, per consequens nec hominū, qui his actionibus generantur, quod est inconueniens.

4 **R**ESPONSI O. Dicenda sunt tria. Primum est, quod deus est causa actionis peccati vniuersalis, & prima. Secundum est quod non est causa eius proxima & immediata. Tertium est, quod ex hoc non potest Deo imputari culpa. Primum patet, quia à quo est essentia, est & virtus & operatio saltem mediātē, sed omnis essentia est à Deo, igitur &c. Secundum patet ex his que dicta sunt sup. di. 1. qu. 5. huius libri. Tertium patet sic, actio non debet imputari agenti nisi secundum quod ab ipso procedit, sed actiones liberi arb. non procedunt à Deo nisi secundum inuoluntariam ad bonum & malum, ergo &c. Minor probatur, quia Deus non est causa actionum liberi arbitrii nisi quia liberum arbitrium ab ipso est & conseruatur, sed liberum arb. in esse conseruatum, adhuc est indifferens ad eligendum actum bonum vel malum, nec determinatio eius ad malum est à Deo, ergo actiones liberi arb. nō possunt Deo imputari secundum communem cursum nisi secundum indifferētiam ad bonum & malum. Dico autem secundum communem cursum, quia forsitan Deus ex beneplacito suo liberum arbitrium inclināt ad bonum, nisi quam tamen ad malum, vt sic bona actio Deo imputari possit nunquam tamen mala, & si ratione illius vel huius indifferētiae intelligant aliqui quod Deus est causa malorum vel malarum actionum in quantum actiones sunt & non in quantum male. Verum est, quia omnes huiusmodi actiones reduci possunt in Deum secundum indifferētiam & non secundum determinationem ad malum, quia verò principia actionū naturalium sunt determinata ad vñ, ideo actiones naturales eorū deo attribuuntur & quantum ad essentiam actus & quantum ad determinationem eius.

5 Si verò sumatur aliqua singularis actio puta hoc adulterium quæ secundum se separari non potest à deformitate culpæ, impossibile est quod Deus sit immediata causa talis actionis nō solum propter rationes prædictas, sed quia necessario esset causa deformitatis, ita quod ipsi attribueretur defectus sicut actus.

6 Quod patet. Ad defectum enim culpabilē tria concurrunt scilicet quod defectus culpabilis nō causetur nisi ab agente, quia culpa est malum quod facimus, defectus verò nō culpabilis, aliunde causari possunt scilicet ex dispositione materiae, sicut tibia claudi non potest recte incedere, licet non sit defectus ex parte virtutis progressiue, sed ex indispōsitione materiae. Ad hoc etiam quod defectus sit culpabilis oportet quod sit in potestate agentis, quia que non sunt in potestate nostra, non sunt nobis culpabilia. Item requiritur quod defectus non sit ignoratus ignorantia que excuset peccatum. Ex quibus sic arguitur, Omnis defectus culpabilis imputatur agenti producenti & habenti super actum dominium & non ignorantem defectum. Si ergo Deus immediatē causet actum huiusmodi adulterii, cum non agat ex necessitate nature, sed liberē habens plenum dominium actus, neq; ignoret de-

fectum adiunctum, nō video quin ipsi debeat ad culpam imputari sicut & homini vel magis quam homini cuius ignorantia potest eum quandoq; totaliter excusare, vel culpam alleuare. Item quando duo sunt coniuncta inseparabiliter quicquid sciens vtrunq;, eligit vnum, eligit & alterum, quia & si illud non eligeret absolute quia malū, ex quo tamen coniunctum est ei quod vult, nec separari potest ab eo, necesse est quod vtrunq; velit, sicut patet in voluntariis mixtis cum aliquis proicit mercem in mare vt saluetur, quas tamen secundum se non vult proicere. Cum igitur Deus non ignoret defectum coniunctum actui si vult vnum vult & alterum, non operatur autem nisi sciens & volens, &c.

7 AD primum argumentum dicendum quod Deus non est immediatē autor huius vel illius peccati sed mediante lib. ar. cui imputatur bona vel mala actio ratione suæ libertatis qua se determinat ad hoc vel ad illud, & sic imputatur ei ad culpam vel meritum & sic præmittitur vel punitur.

8 Ad secundum patet solutio per iam dicta, concessum est enim quod concludit.

9 AD argu. in oppositum dicendum quod per actionem peccati nullus effectus in esse produciuntur, actio enim peccati vel est interior actus voluntatis per que nihil conseruitur, vel actus exterior imperatus qui est motus localis solum per quem nihil acquiritur, & ideo per actionem peccati nullus effectus produciuntur. Sed verum est quod per actionem peccati actiua & passiua naturalia appropinquantur sicut per actum adulterii committitur semen viri cum femine mulieris quibus appropinquatis sequitur actio naturalis eorum & effectus, quorum vtrunq; Deo attribuitur, non autem præcedens actio peccati propter rationem iam dictam.

## QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum Deus sit actor mali pœne.

Tho. 1. 2. q. 49. ar. 2.

**D**einde queritur, vtrum Deus sit actor mali pœne. Et videtur quod non, quia omne malum est præter intentionem agentis, nullus enim aspiciens ad malū operatur, sed in actione diuina nihil potest contingere præter eius intentionem, quia quod non est intentum, nō videtur esse præuisum, omnia autem sunt à Deo præuisa, ergo &c.

2 SED contra. Ad eundem pertinet remuneratio bonorum, & punire molorum, sed Dei est remunerare bonos, ergo & punire malos: hoc autem fit per inflictionem pœne, ergo &c.

3 **R**ESPONSI O. Dicendum quod Deus est actor mali pœne, non tamen potest esse cuiuslibet pœne actor immediatē. Primum patet, quia à deo nihil est negandum, nisi quod sonat in aliquam imperfectionē, sed esse actorē mali pœne, nō sonat in aliquam imperfectionē, ergo &c. Minor probatur, quia malum pœne siue sit pœna damni, siue pœna sensus, consistit in passione: passio autem non est in agente, sed in passio propter quod malum pœne defectum ponit in patiente, & non in agente: defectus enim vel est nature, vel moris: causare autem pœnam in alio non arguit imperfectionem nature agentis, sed magis perfectionem nature, & prædominium virtutis. Item nec arguit defectum morum, qui contingit pœnam iuste infligi, & tunc infligitur absq; culpa, ideo &c.

4 Secundum patet, quia Deus non est immediatē actor illius pœne quæ infligitur actione culpæ, sed quædam pœne sunt huiusmodi, sicut omnes quæ ab hominibus iniuste inferuntur, ergo &c.

5 AD argu. in oppositum dicendum quod malum in quantum malum nunquā est intentū, neq; à natura, neq; à deo, sed nihil prohibet illud quod est malū nature, esse bonū in genere moris: sic est de pœna iusta, & hoc modo potest esse intentū. Similiter malum nature respectu vniuersi (puta corruptio respectu bouis) mala est: quæ tamē respectu hominis, qui ex morte eius consequenter iuuatur, bona est & intentū, & similiter est in omnibus, ideo &c. Argumentum etiam assumit falsum, scilicet quod omne præuisum sit intentum, quod non est verū, quia præuisum, quod pertinet ad intellectum, est omninū tam bonorū, quam malorū: intentio autem quum sit actus voluntatis, est solum bonorum.

QVÆ